



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola V. Gregorii Papae I. Ad Ianvarivm Episcopvm Calaritanvm. Scribit
vt excessum Petri neophyti contra Iudaeos emendet diligenter, &
synagogam a Iudaeis vi ablatam restitui iubeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

danti epistola deposcamus. Atque ideo salutantes paternæ caritatis affectu petimus, vt quia latorem præsentium Castorium chartularium nostrum pro necessariis illic causis direximus, vestra eum ope in omnibus adiuuetis, atque illi bonitatis vestræ consilio quocumque necesse fuerit concurratis; quatenus fultus Christianitatis vestræ solatio, ad explenda quæ sibi iniuncta sunt solers & idoneus possit inueniri. Sic etenim & vos quæ vestra sunt facitis, & nos pro vobis enixius orare compellitis. Omnipotens Deus gratiæ suæ vos tuitione præmuniat, & ita actus vestros in suo sicut desideratis propitius timore disponat, vt & a malis omnibus hic exuat, & ad gaudia vos æterna perducatur.

EPISTOLA V.

GREGORII PAPÆ I.

AD IANVARIVM EPISCOPVM CALARITANVM.

Scribit vt excessum Petri neophyti contra Iudæos emendet diligenter, & synagogam a Iudæis vi ablatam restitui iubeat.

Gregorius Januario episcopo Calaritano.

IUDÆI de ciuitate vestra huc venientes questi nobis sunt, quod synagoga eorum, quæ Calaris sita est, Petrus, qui ex eorum superstitione ad Christianæ fidei cultum Deo volente perductus est, adhibitis sibi quibusdam indisciplinatis, sequenti die baptismatis sui, hoc est dominico, in ipsa festiuitate paschali, cum graui scandalo sine vestra occupauerit voluntate, atque imaginem illic genitricis Dei Dominique nostri, & venerandam crucem, & birrum album, quo de fonte resurgens indutus fuerat, posuisset. De qua re & filiorum nostrorum Eupaterii gloriosi magistri militum, atque magnifici pii in Domino præsidis, aliorumque nobilium ciuitatis vestræ ad nos hæc eadem scripta attestantia cucurrerunt. Qui etiam adiecerunt a vobis hoc præsumptum, & prædictum Petrum ne hoc auderet fuisse prohibitum. Quod cognoscentes, omnino laudauimus: quia sicut reuera bonum decuit sacerdotem, nihil fieri vnde iusta esset reprehensio voluistis. Sed quia per hoc quod minime vos in his quæ prauè acta sunt mi-

Psal. 53.

scuistis, displicere vobis quod factum est demonstrastis, considerantes hac de re vestræ voluntatis intentum, ac magis iudicium, his hortamur affatibus, vt sublata exinde cum ea qua dignum est veneratione imagine atque cruce, debeatis quod violenter ablatū est reformare: quia sicut legalis diffinitio Iudæos nouas non patitur erigere synagogas, ita quoque eos sine inquietudine veteres habere permittit. Ne ergo supradictus Petrus, vel alii qui ei in hac indisciplinationis prauitate præbuere solatium, sine consensu hoc zelo fidei se fecisse respondeant, vt per hoc quasi eis necessitas fieret conuertendi, admonendi sunt, atque scire debent, quia hac circa eos temperantia magis vtendum est, vt trahatur ab eis velle non reniti, non vt adducantur inuiti, quia scriptum est: *Voluntarie sacrificabo tibi*: id est, ex voluntate mea confitebor tibi. Sanctitas ergo vestra gratiam inter ciuitatis suæ habitatores, adhibitis sibi filiis suis, quibus vna vobis hæc displicent, sacerdotali adhortatione, sicut eam decet, studeat facere: quia in hoc maxime tempore quando de hoste formido est, diuisum habere populum non debetis. Quia vero non minorem de vobis quam de nobis sollicitudinem gerimus, hoc quoque pariter indicandum curauimus, quod finita hac pace Agiulphus Longobardorum rex pacem non faciet. Vnde necesse est vt fraternitas vestra, dum licet, ciuitatem suam vel alia loca fortius muniri provideat, atque immineat vt abundanter in eis condita procurentur, quatenus dum hostis illuc Deo sibi irato accesserit, non inueniat quod lædat, sed confusus abscedat. Sed & nos pro vobis quantum possumus cogitamus, & iis quorum interest, vt se ad obsistendum Deo adiutore præparare debeant, imminemus: quia sicut vos nostras tribulationes vestras attenditis, ita quoque nos vestras afflictiones nostras similiter reputamus.

EPI-